ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

Per-illustri Dom.

D. Constantino Hugenio, Dom. meo clementiss. S. P. D.

Sententiam D. Holwerhugij, doctissimi undequaq viri, et, quod hic palmarium, in erudienda juventute dexterrimi, exercitatissimi, aperirem, Nob. Dom. tibi et ab utroq filio, et ab ipso, sedulo, ter serius præstitum, adeo ut non semel actum agere jure videar. Judicium suum cum primis judiciosum, quam cumulate cum hic, tum sæpe alias probavit, dicerem sane, si aut ego digne scirem dicere, aut tu a. D. nescire posses, et ille frivolas deprædicationes meas non infinite superasset. Visi operam, ut cum ratione insanirem, darem, si calculum hic audenem interponere, aut vel niger ullius momenti, vel niveus pretij esset, unum tacere nequirem, rationi ejus omnimodis me subscribere. Restat ut et N. D. placitum suum placeat indicare; cujus jam vocem, id est legem avidissime Nob. filioli, ego et avidissime, et humillime expectamus. Interim quod jusseras et res monet ipsa, sit sedulo repetimus Sleidanum. Prosodiæ nuper supremum vale diximus, quod expediti satis in recitandis regulis, ac ipsi cætera ju,, gi exercitatione comparanda, cum omni, ni fallor, republ. litteraria, existimarem. Constanti,, nus quidem, nunquam sine stupore nominandus, acutum heri, atq adeo, pene dixerim ex tempore, in Alexandri magni mortem, distichon composuit, quod sic habet,

Hic jacet ille ingens (hospes consiste) Monarcha,
Exceptis Fatis singula qui domuit.

Ait plura se addeturum, atq ubi perfecerit, N. D. missurum. Etiam ego tum subito furore, sed furore incitatus, nonnulla in eundem conscribellavi, verum nec oculis tuis digna, nec auribus, sed Vulcano confestim mandanda. Rhetoricam jam semel leviter bra,, chio percurrimus, cura secunda accuratiore curiosius curandam, cujus usum, cum exemplis varijs, tum lectione poëtarum, ac Oratorum, largius percipiemus. In Musicis adeo proficiunt strenue, ut jam omnibus admirationi sint. Neutri hic nunc plus adscribitur, pares sunt ingenio pares studio, pares laudibus, par, et duplex gloria maximi parentis; Animus meus ancipitis, saucius utriusq amore, utrumq inter, et utriusq amorem, versatur dubius, negatq scire, uter sit prior altero. duorum, cum ~~filio~~ par, nec prior altero sit alter, nec par, aut prior, altero sit usquam. Ludovicus themata Latinius scribit solito, in Adelphis pro cedit non oscitanter; proficit sic satis feliciter. Philippus frigide, sed quid? pueri,, lis est, olim cæteris nihil concedet. Disputatio mea (quam quod non abnueris D. N. ha beo gratiam) differenda est; quippe ob occupationum seriem, simul quia Synodus Lugd. Batav. habebitur, (in qua et ipse suas obit partes) neget se vacare mihi posse D. Regens præses meus, ante ferias Caniculares. Vale Ampliss. virorum, Dom. æternum observande, submisse venerandus

ab Ampl. tua cliente devotiss.

Henrico Brunone.

Hagæ,
V Idus Iulias.
CIƆ IƆC XXXIX.

Hug. 37

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2164

Perillustri viro
Conſtantino Hugenio, Equiti, Zulichemii
domino, celſiſsimo Auriaco principi
a conſilijs et ſecretis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2164